

---

# ARITHMETICA

---

## ARITHMETICAE

### C A P. I.

*De numeris enunciandis, augendis  
et minuendis.*

#### I.

*A*rithmetica est scientia numerorum, eorumque, quae in numeros cadere possunt.

2. *Vnitatem* dicunt nomen mensurae communis, quae assumitur ad distincte exprimendas quantitates, easdemque inter se comparandas.

3. *Numerare* est pronunciare atque efferre verbis numerum. *Numerus* autem est congregatio singulorum, siue vnitatum. Ex quo intelligitur, 1. vnitatem non esse numerum: 2. numerum augeri minuique posse: 3. augeri autem adiectis vnitatibus, vel aliis numeris, minui demtis: cumque 4. addatur subtrahaturve vel idem aliquoties, vel diuersus, duas esse augendi numeri rationes, *Additionem* et *Multiplicationem*, duas item minuendi, *Subtractionem* et *Diuisionem*.

4. *Additio* ergo numeros auget adiciendis numeris, ab eo, qui augetur, diuersis. Ea ratione qui efficitur numerus, proprie *Summa* appellatur. Signum autem colligendorum in vnam summam nume-